

flabella, & pessimorum errorum disseminatores  
 habuit, sed summo Dei beneficio nunquam isti  
 quicquam inter vos obtinere & efficere potue-  
 runt. Vicit enim veritas, & statim extincta  
 sunt ea veneni semina, quæ pater ille mendaci-  
 serere inter vos conabatur. Quod sigillatim etiã  
 commemorare me non pigebit. Nam cum anno  
 Domini M. D. XXXV. salutare illud Evangelii  
 lumen tota ciuitas vestra diuino potiùs miracu-  
 lo, quàm humana vlla industria lubenter am-  
 plexa esset, quàm variè vos teterrimus ille hu-  
 mani generis hostis per suos emissarios sit ag-  
 gressus, satis constat. Neque verò de ijs tantum  
 loquor, qui vos à iam recepta caelesti doctrina,  
 callido quodam artificio & blandis verborum  
 lenociniis abducere tentarunt, quales astuti &  
 ab ipso Romano Antichristo redempti homines  
 P. Caroli, & Iacob. Sadoletus extiterunt. Non  
 eos etiam solum intelligo, qui aperta vi & ne-  
 faria seditione Euangelium ipsum, cui introdu-  
 cendo gnauiter operam nauasse prius videban-  
 tur, procul abigere atque adeò prorsus profligare  
 postea voluerunt. Eos potiùs hic commemoro,  
 qui ipsius Christianæ religionis retinēda, foaen-  
 da, illustrandaq; falso quidem, sed tamen plau-  
 sibili prætextu fœdissimarum hereseon sordes in  
 eam, quam iam purissimam susceperatis, fidei  
 doctri-